



HAec loquutus est Iesus, & sublati oculis in coelum, dixit: Pater, uenit hora; glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam aeternam. Hæc est autem uita aeterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.] Quum dixisset discipulis, afflictionem habebitis, & ad fiduciam exhortatus esset, iterum eos erigit per preces: erudiens nos, in tentionibus, relictis omnibus, ad deum confugere debere. Et aliter: Nō hic oratio est, sed colloquium cum patre. Quod autem alio loco orat, & genua flectit, ne mireris. Venit enim Christus non solum seipsum manifestaturus, sed omnem uirtutem docurus. Docet enim autem nō tantum uerbis, sed & operibus docere oportet. Ostendere autem uolens quod non inuitus, sed sua sponte ad passionem accedat, dicit: Pater, uenit hora. Ecce enim ut optabile hoc desiderat, & gloriam uocat, non suam tantum, sed & patris: quod & factum est. Non enim filius solus, sed & pater glorificatus est. Nam ante crucem quidem neque Iudæi ipsum scierunt. **Isa. 1.** Israel enim me non cognouit, inquit: post crucem autem totus orbis ad eum confluit. Ostendit autem quæ sit gloria eius & patris. Credere, inquit, omnem carnem, & beneficia experiri, gloria est dei. Nō enim ad Iudæos solos contrahitur, sed in totum orbem extenditur. Dixit autem hoc, quoniam missurus erat illos in gentes. Vt igitur ne putent nouitatem esse, & præter uoluntatem patris, indicat à patre sibi datam potestatem omnis carnis. Nā ante dicebat **Matth. 10** eis: In uiam gentium ne abieritis. Quid autem est, Omnis carnis? Nam nō omnes crediderunt. Et sanè Christus, quantum ad se attinebat, omnes ad fidem adducere curabat: quod autem illi nō attenderunt, non docentis, sed non suscipientium crimen est. Quando autem audieris, dedisti & acceperunt, & similia, intellige ea dicta esse ad auditorum captum, sicut sæpe diximus. Sæper enim cauet ne de seipso magna dicat, & se attēperat infirmitati auditorum. Et quia offendebantur magna de eo audientes, loquitur de his quorum capaces sunt: sicut & nos sæpe cum pueris loquimur, & panem ita nominamus ut illi, & aquam, & in **Joan. 1.** summa omnia. Dein quando Euangelista de domino dicit, audi quæ dicat: Omnia per ipsum facta sunt, & quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Qui alibi dat, quomodo ipse potestatem non habet, sed accipit à patre? Insuper & hic in his uerbis quæ uidentur humilia, asseritur sublime quiddam. Nam ut dicit, omne quod dedisti eis, hoc per condescensionem est dictum: det eis uitam aeternam, hoc potestatem indicat unigeniti & deitatis. Dei enim est dare uitam, eamque aeternam. Solum autem uerum dixit patrem, opponendo eum mendacibus, qui apud gentes erant, dijs. Non enim illum à patre separat, Absit. Nam quum sit & uerus filius, non erit mendax deus, sed uerus. Sicut hic Euangelista de domino in epistola sua catholica inquit: Iesus Christus, hic est uerus deus, & uita aeterna. Si autem urgeant hæretici, falsum esse deum filium, quia pater solus dictus est uerus deus, discant quod de filio dicit Euangelista hic: Erat lux uera. Igitur secundum eos pater est lux falsa, sed absit: & ita quando uerum deum dicit patrem, falsis dijs gentilium opponitur. sicut & hoc, Gloriam à solo deo non queritis: sic enim hæretici intelligunt: Verum quia solus deus, pater: filius nō autem deus: uere stulte dicta sunt hæc. Ego te glorificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi ut facerem, & nunc glorifica me pater apud te ipsum gloria, quam habui priusquam hic mundus esset apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus.] Disce hoc loco quomodo glorificet & pater filium. Utique sicut & filius patrem. Ego te, inquit, glorificaui super terram. meritò addidit, super terram: in coelis enim glorificatus erat, & ab angelis adorabatur. Terra autem ignorabat eum. Igitur quia filius annunciauit eum omnibus, ideo dicit: glorificaui te super terram, omni notitia dei disseminata, & perfecto opere quod dedisti mihi. Hoc enim opus est incarnationis unigeniti, sanctificare naturam nostram, & prosterne re rectorem mundi, qui se prius deum faciebat, & inserere creaturæ notitiam dei. Quomodo autem consummauit hoc, quum nondum inceperit? Quotquot dicere uult, qui uenerunt ad me, perfecit. uel quia fecit quod maximum omnium, & radicem honorum omnium nobis subtrahit, dæmone uicto, & se obiecto uoracissimæ bestię morti. Radicem hæc necessariò sequitur.

quaturi erant & fructus diuinæ noticiæ: propter hoc dixit, perfecti opus. Seminaui, inquit, radicē plantauī, fructus autē sequetur: glorifica igitur me pater & tu apud te ipsum gloria, quam habebam apud te priusquā mundus subsisteret. Nondum autē glorificata erat carnis natura, neq; incorruptibilitate fruebatur, neq; regium thronū acceperat, propterea dicit: glorifica me, hoc est, humanam meam naturam, quæ nūc in ignominia, quæq; crucifigēda: & subuehe eam in gloriam, quam habebam apud te ego uerbum & filius tuus, priusquā mūdus esset. Collocauit enim humanā naturam in throno regio, & adoratur nunc ab omni creatura. Manifestauī nomē tuum hominibus: nunc interpretur quid sit, ego glorificaui nomē tuum super terram, hoc est manifestauī nomen tuum. Quomodo igitur manifestauit filius? Etenim Esaías quoq; dicit, iurandū per deum uerum, sed quod sæpe diximus, quamuis manifestum fuerit, sed iudæis solis, & neq; illis omnibus: nunc autem de omnibus gentibus inquit, quod manifestum eis futurum sit nomen dei, quum iam Christus dederit semina diuinæ naturæ, ut destrueretur idolorū cultus, quē suggessit diabolus. Et aliter: Quamuis cognouerunt deum, sed non ut patrē cognouerūt, sed ut opificem solum: filius autem patrē manifestauit, & sermonibus & operibus notum illum faciens. Nam quum se filiū demonstrauit dei, manifestū quod simul demonstrauit & illum fuisse patrem.

Quos dedisti mihi de mūdo, tui erāt: mihi dedisti eos, et sermonē tuū seruauerūt. Nūc cognouerūt, quod omnia quæcūq; dedisti mihi, à te sunt: quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerūt uere quod à te exiui, & crediderunt quod tu me misisti. Duo hæc docere uoluit, & quod non sit aduersarius deo patri, & quod uoluntas eius sit credere illos: propterea dicit, quos dedisti mihi, tui erant. Vtraq; enim ostenduntur per hoc quod dicit, dedisti mihi. Non enim rapui eos, sed tu comprobasti ut illos mihi lucrarer: & ita non aduersarius es mihi, sed concordiam habes & charitatē erga me o pater. Sermonē autē tuū seruauerūt, per hoc quod credūt mihi, & nō attendunt iudæis. Qui enim credūt Christo, sermonē dei seruāt, hoc est scripturā & legē. Nam Christus à scriptura annūciatur. Et aliter: Omnia quæcūq; dicebat discipulis dominus, patris erant. Ego enim, inquit, à meipso non loquor. Dicit igitur cū alijs & hoc eis: Manete in me, & ecce seruauerūt & hoc mandatū. Manserūt enim, & ita sermonē patris seruauerūt. Nūc cognouerūt, quod omnia quæcūq; dedisti mihi, à te sunt. Quidam absq; legūt *ἐγὼ καὶ* cognoui, & inquit quod dominus dicat, Nunc cognoui ego. Sed absurdū est. Sed legendum est, *ἐγὼ καὶ*, Nūc cognouerūt discipuli mei, inquit, qd' nihil habeo propriū, neq; à te alienus sum: sed quæcūq; dedisti mihi, non ut creaturæ gratificās mihi dedisti. Non enim hæc mihi acquisita sunt: hoc est naturaliter ad me pertinet, ut ad filiū qui in paternis rebus potens est. Vnde autē cognouerūt hæc discipuli mei: Verbū quod dedisti mihi, dedi eis, hoc est, à uerbis meis & doctrinis. Sēper enim eos docebā, quod omnia quæcūq; habeo patris sunt: & nō hoc solū, sed quod & à te exierim, & quod tu me miseris. Nā per Euāgeliū totū hoc efficere uult, quod nō sit aduersarius dei, sed impleat patris uoluntatē.

Ego pro eis rogo, nō pro mūdo rogo: sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt: & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis. Quū ostēdisset, quod propter nihil aliud, q̃ propter ipsos hæc ad patrē dixisset: ut discāt quod diligat eos, et curā eorū gerat, inquit: Ego pro ipsis rogo & supplico, nō pro mūdo. Ostēdi em̃ omnino ex hoc quod diligā eos. Non em̃ solū do quæ mea sunt, sed & oro ut custodias eos. Non oro te pro promiscuo populo, qui mundana sapit: sed pro his, quos dedisti mihi: tui enim sunt. Et audiēs continuō eum dicentē, Dedisti mihi: nō existimes, nuper datū principatū, & potestātē talē: & quando habuit eos pater, ipse nō habuerit: & iterū nunc quū eos habet, patri ablatā potestātē: propterea dicit: omnia mea tua sunt, & tua mea. Nō enim nūc accepi potestātē, sed quando tui fuerūt, & mei fuerūt. Tua enim omnia mea. Et quando ipse habeo eos, & tu habes, & non es priuatus. Mea enim omnia tua, & glorificatus sum in eis: hoc est, potestātē illorū habeo ut dominus, qui in eis glorificor: sicut & regis filius æqualē cum patre potestātē habens ac regnum, glorificatur in eo quod tanta habet, quanta pater. Si ergo iterū filius minor esset patre, quomodo ausus fuisset dicere, omnia

ma mea sunt: Nam dominus quidem omnia habet quæ sunt serui: seruus autem non omnia quæ sunt domini. Hoc autem loco conuersim loqui licet, ut quæ sunt patris, ea sunt & filij: & contrà. Glorificatur igitur filius in his quæ sunt patris. Tantâ enim omnium potestatem habet, quantam & pater.

Et iam nō sum in mundo: & ij in mundo sunt, & ego ad te uenio. Pater sancte serua eos per nomē tuū, quos dedisti mihi, ut sint unū sicut & nos. Quum essem in mūdo, ego seruabā eos nomine tuo.] Quare cōtinuō dicit, nō iam sum in mūdo, quādo erat cum eis in mūdo: Videtur enim esse absurda, si quis hæc exponat nō examinata. Alio item loco promissit eis, ero uobiscum, & uidebitis me: nūc autē alia uidetur dicere. Potest igitur uere dici: Nam quia uerisimile erat tristari eos, utpote qui relinquebantur adiutore destituti, ostēdit quod patri eos cōmendat, & illū custodē eis præficiat. Quia à te uocor ego, seruauit ipse illos in nomine tuo: hoc est, per tuum adiutorium, & uirtutem quam dedisti mihi. Quid est custodia: ut sint unum. Nam si charitatem inter se habuerint, & non fuerint discordes, inuicti erunt, & nihil eis præualebit. Non simpliciter autem ut sint unum, sed sicut ego & tu, unum sapientes, & unum uolentes: illa eos concordia custodiet. Itaque ut consoletur eos, patrem orat pro custodia eorum. Nam si dixisset, Ego custodiam uos, non sic credidissent: nunc autem dum patrem pro eis rogat, bona spe animantur. Ego seruabā eos in nomine tuo, dicit. Non quod ipse non ualeat aliter, nisi per nomen patris: sed ut sæpe dixi, infirmitati consulit auditorū, & nondum magnum quiddam de se sentientium: propter hoc dicit in tuo adiutorio seruabam eos. Insuper & bene sperare facit, quemadmodum quum essem uobiscum præsens, seruabamini in nomine & adiutorio patris: ita nunc quoque credite uos à deo seruandos. Solet enim uelstrum curam habere.

Psalm. 108 Quos dedisti mihi, ego custodiui: & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditus, ut scriptura cōpleretur. Nunc autē ad te uenio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.] Multa humilitas uerborum, nisi quis digne exceperis ea. Vides enim hoc loco quid apparet. Quos dedisti mihi, custodiui. Videtur enim annūciare patri, ut custodiat & pater eos. Nam sicut si quis cuiuspiā tradidisset pecunias custodiendas, dicat, uide ego nihil perdidisti, neque tu perdas. At hæc omnia dicit propter discipulorum quietem & consolationem, ac gaudium, ut respirent, curas deponant, tanquam recipiente te illos saluos, & custodituros eos, sicut ego custodiui eos, & nullum amisi. Quomodo o domine, nullum perdidisti, quum & Iudas perierit, multique alij retrocesserint: Quantum ad me attinet, inquit, nullum perdidisti: quantum in me fuit, nullum amisi: sed seruauit eos, hoc est omnibus modis eos custodiui. Quod autem à seipsis resilierint, nihil hoc ad me. Quod autē dicit, ut scriptura impleatur, hoc est omnis quæ de filio perditionis prædicit. Etenim & in psalmis uarijs de illo dictum est, & in alijs quoque prophetarum libris. De uerbulo autem, ut, sæpe diximus, quod eo utatur scriptura, ut euentus non causæ significatiuum sit.

Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.] Orans patrem ut iuaret apostolos, dicit & causam propter quam digni sint ut multam à patre consequantur curam. Nam propter sermonem tuum, inquit, quem dedi eis, odio fuerunt: & ita digni erunt ut tuū sentiant auxilium, propter te exosi ab his qui mundana sapiunt. Vulgo enim promiscuo exosi sunt, inquit: non autem sunt ex mūdo, non habent mentem mundo agglutinatam, & omne studium in illum insumentem. Quomodo igitur dicit alio loco: Quos dedisti mihi ex hoc mundo, tui fuerunt: Illic quidem de natura dicens, quod ex hominibus sint, & pars mundi: hoc autem loco mentem & uoluntatem significat, dicens quod de mundo non sint. Neque turbet te quod dicit, Sicut ego ex mūdo non sum. Non enim sic fuerunt sancti apostoli, & nō participes affectionū mundi, sicut dominus. *Esai. 53.* Ipse enim peccatum non fecit, neque inuētus est in ore eius dolus. Illi autem humanæ naturæ infirmitatē nō fuerūt transgressi. Ne igitur quū dicitur, Sicut ego nō sum ex mūdo, intelligas,

Intelligas, quod in nullo minores fuerint apostoli domino: sed quando de patre & filio dicitur, Sicut, tunc solū æqualitatem intellige. Quod autem dicit, nō rogo ut tollas eos ex mundo, dixit uolens declarare suam erga eos charitatem, & quod magni illorum curam faciat, intercedens tanto studio pro eis. Non enim patrem docet, pro quibus oret, nam hoc absurdum: sed, ut dixi, ostendit quod ualde diligat discipulos, & illorum agat curā. Dicit ergo patri: Nō rogo ut tollas eos de mūdo, sed ut eos in mūdo serues à malo. Repetit igitur, ex mundo non sunt, multo subsidio habent opus. Nihil enim commune habent cum terra, cœlorum facti ciues: & ita quia mundus omnis ut alienis usus est eis, tu cœlestis posthac ut cœli ciues adiuua. Dicit autem talia audientibus discipulis, ut magis odiant mundum, & non erubescant de tantis suis laudibus. Serua eos à malo: non de liberatione à periculis, sed de permanentia & firmitate in fide. Vnde & subdit:

Sanctifica eos in ueritate tua. Sermo tuus ueritas est. Sicut me misisti in mundū: & pro eis ego sanctifico meipsum, ut & ipsi sint sanctificati in ueritate. Sanctos fac, inquit, per dationē spiritus, & custodi eos in rectitudine sermonis & dogmatū, & erudi eos, & doce ueritatē. Sanctificatio enim est rectorū dogmatū seruatio. Quod aut de dogmatis dicit, manifestū: interpretatur enim, Sermo tuus ueritas est, nullū in eo mendaciū: atq; ita si & illos feceris seruare sermonē tuū, & custodire à malo, in ueritate sanctificabuntur. Manifestū autē & aliud quiddā: Sanctifica eos in ueritate tua: hoc est, separa eos in uerbum & prædicationē, & fac eos sacrificiū, quod ueritati tuæ ministret, huius suam uitam consecrent. subdit enim: Sicut me misisti in mundū, & pro eis ego sanctifico meipsum: hoc est, offero sacrificium, ita & illos sanctifica, hoc est, separa in sacrificium, in prædicationem, & constitue eos ueritatis testes, sicut & me misisti ueritatis testem & hostiam. Sancta enim dicunt omnia, quæ deo reposita. Ita ut & ipsi sicut ego sint sanctificati & oblati tibi deo, non sicut quæ secundū legem sacrificantur in figura, sed in ueritate. Sacrificia enim uetera figuralia erant, & omnia sancta in figura fuerunt, separata à deo, aliud spiritale quiddam adumbrantia: ut agnus, columbæ, turtures, & cætera. Animæ autem quæ deo offeruntur, in ueritate sunt sanctificatæ & consecratæ deo. Sicut & Paulus dicit: Exhibete membra uestra sacrificium uiuum, sanctum. Sanctifica igitur & conserua discipulorum animos, & fac eos ueras oblationes, & corrobora eos, ut pro ueritate se sacrificent.

Rhom. 12.

Non pro eis rogo tantū, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonē eorū in me, ut omnes unū sint: ut credat mundus, qd' tu me miseris: & ego gloriā quā dedisti mihi, dedi eis, ut sint unū, sicut & nos unū sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint cōsummati in unū: & ut cognoscat mundus qd' tu me misisti. Dixerat, pro ipsis ego sanctifico meipsum: ut igitur ne putet quis, qd' pro solis apostolis mortuus sit, subdit: Nō pro his rogo solum, sed & pro omnibus qui credunt per sermonem illorum. Hoc autē loco iterū erigit apostolorum animos, quod habituri sint multos discipulos. Quia enim dixit, nō pro his solis rogo, ut ne offendantur apostoli, quasi nihil singulare præ alijs habeant, consolatur eos, significando fore illos plurimorū fidei & salutis authores. Et quia satis commendat eos patri, quasi fide sanctificans eos, & sacrificiū eos ueritati sacrū consummans, dicit postea iterū de cōcordia, & à quo cœpit (principiū dico charitatis) in eo nūc ferme concludit, ac inquit, ut omnes unum sint, hoc est, ut pacē & concordia habeāt, & in nobis, hoc est, ut indiuisam erga nos seruent fidē. Nihil enim ita offendit discipulos, ut diuellā & nō idē sentire doctores. Quomodo enim persuadebūt, qui nō idē sapiunt? Propter ea dicit, ut & ipsi unū sint in fide erga nos. Sicut tu pater in me, & ego in te. Iterum non æqualitas per omnia est. Nō enim possibile, ut ita uniamur inter nos, sicut pater filio: atque ita quū dicit, ut debeamus fieri misericordes sicut pater, intellige ut mūdus credat, qd' tu me miseris. Etenim à cōcordia discipulorū, ego doctor cōprobior quod à deo exiuerim. Si autē pugnaverint inter se, nō dicentur pacifici esse discipuli: neq; me, si pacificus nō fuero, farebunt à te missum. Vides quomodo usq; ad finē cōcordia erga patrē instruit? Ego gloriā quā dedisti mihi, dedi eis. Qualē gloriā datā esse dicit: eā quæ per signa, &

per dogmata & doctrinas, & aliam quoque gloriam, concordie scilicet, ut sint unum. Ista enim gloria maior est quam ea quae signorum. Nam sicut & deum admiramur, quia non est seditio, neque pugna in natura eius, & maxima ista gloria est: ita & illi, inquit, hoc loco a concordia dico fiant clari. Ego in eis, & tu in me. Hoc loco ostendit quod apostoli & patrem in se receperunt. Ego enim, inquit, in ipsis sum, & te quoque habeo in me. Et ita etiam tu in eis es. Alio autem loco, & patrem etiam ipsum aduenturum dicit, & mansionem facturum: Sabellij os concludens, & duas substantias manifestans. Hoc autem loco & Arii insaniam reprimens: patrem enim inquit per ipsum fieri in discipulis. Ut sciat mundus quod tu me miseris: continuo autem hoc dicit, ostendens pacem, quae ualeat etiam conciliare omnia. Nam ut lites omnia dissoluunt, ita concordia omnia copulat.

2. Corinth. 3

Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant gloriam meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante conditum mundum. Iterum hoc loco per, Sicut, intellige significari quasi hominem dilectum esse. Itaque quum dixisset futuros tutos, sanctos, multos per eos credituros, multam habituros gloriam: dicit nunc & de praemijs & coronis, quae post hanc uitam repositae. Volo enim, inquit, ut ubi sum ego, & illi sint. Et ne quum hoc audieris, existimes quod eandem dignitatem assequuturi sint, subdit: ut uideant gloriam meam. Non enim dixit, ut fruamur gloria mea: sed, ut uideant. Homini enim requies maxima, uidere filium dei. Haec enim est omnis gloria dignorum, quod & Paulus dicit: Nos autem reuelata facie gloriam dei contemplabimur. Ostendit igitur hoc loco, quod non sit, quemadmodum nunc uidetur eis, in uili habitu inueniendus tunc: sed in gloria, quam habuit ante conditum mundum. Habebam autem hanc gloriam, inquit, eo quod dilexeris me. Infertur enim est, Quia dilexisti me. Igitur sicut superius dixit, Glorifica me gloria, quam habui antequam mundus esset: ita & nunc ante conditum mundum sibi datam gloriam inquit, deitatem. Dedit enim ei reuera pater deitatem, ut pater filio naturaliter. Nam quia genuit eum, necessarium eam gloriam auctor fuit & suppeditator, qui substantiae auctor dicitur.

Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & ij cognouerunt, quod tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Postquam credentibus haec precatus, & tanta eis bona pollicitus, dicit quiddam multae misericordiae & benignitatis plenum. Pater, enim inquit, iuste, ego quidem & omnes homines haec bona assequi uellem, qualia imprecatum sum fidelibus: sed non cognouerunt te, ideo priuabuntur praemijs & gloria. Ego autem te cognoui. Carpunt autem hoc loco & Iudaei, qui se dicebant cognoscere deum, & ostendit eos non cognoscere patrem. Mundum enim Iudaeos dicit sapientius. Et Iudaei quidem dicunt, quod tu non me miseris, ego autem his discipulis & nomen tuum cognitum feci, & notum faciam. Quomodo autem notum faciam? Missio eis spiritus sancto, qui inducet eos in omnem ueritatem: & si didicerint quis tu, tunc dilectio qua dilexisti me, in ipsis erit, & ego in eis. Scient enim quod non separatus ego, sed ualde dilectus & germanus filius, ac coadunatus. Quum agnouerint autem hoc, & fidem erga me & dilectionem seruabunt. Insuper in illis manebo ego qui tales fuerint, qui te agnouerint, & me ut deum coluerint, immobilem quoque erga me fidem custodierint.

C A P V T X V I I I.

Passio



Aec quum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem intrauit, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quod saepe conuenisset Iesus illuc cum discipulis suis. Non inquit, quum precatus esset Iesus: sed, haec quum dixisset: non enim oratio erat, sed colloquium ad solatiu discipulorum factum. Media autem nocte iter facit, & flumen transiit, festinatque ut ueniat in locum proditori notum, seipsum permittens homicidis: ut ostendat, quod sponte ad passionem ueniat, & laborem minueret Iudaeis se quaerentibus. Nam ne fatigarentur huc & illuc obambulantes, quae rentes eum, abiit ipse ad eos, & se manibus inimicorum infert. Inuenitur enim in hortu, quasi in carcere quodam. Et ne existimes quod delitescendi gratia illuc se contulerit, subdit Euangelista, quod & Iudas nouerit locum: atque ita magis manifestari quam occultari